

tivamente non estintivamente in hujusmodi extinctionem instrumentis apponi solita. Rota in Romana censuum super Subingresso quoad partitam reservatam 22 Junii 1753. § 3 et 4. confirmat ut sup.

(6. Exstinguitur etiam Censuum, si Creditor Censuum irrevocabili censu fundi dominium acquirat, adeo ut a qualibet cesset productione fructuum. Cenc. de Cens. qu. 119. n. 1. et seq. Rota post eumd. dec. 511. n. 1. et 2. coram Emerix jun. dec. 661. n. 2. coram Crescent. decis. 503. num. 16. Cum enim Censuum impositio naturam sapiat servitutis realis, quæ exstinguitur per irrevocabilem prædii servitutis acquisitionem; Paulut. dissert. 52. num. 7 et seq. Cenc. de Cens. quæst. 114. num. 2 et 3. ita et consecuto irrevocabili fundi censu dominio Censuum exstinguatur oportet, ne creditum, et debitum dominium, et servitus, actio, et passio in

## CESSIONES.

## SUMMARIUM.

1. Concessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur sub pœna Excommunicationis. — 2. Concessiones commodi exigendi pensiones, factæ intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii, annullantur. — 3. Quoad Cessionem bonorum. Remissive. — 4. Quinam possint juri suo cedere. — 5. Debitor non potest in præjudicium creditorum jus quæsitum cedere. — 6. De Cessione translative. — 7. Non valent cessiones factæ a majoribus in potentiores. — 8. Quenam requirantur, ut Cedens incidat in pœnam. — 9. An Ecclesia potentior nequeat Cessionem habere. — 10. An possit fieri Cessio in Clericos ratione mutandi iudicii. Remissive. — 11. Jura personalia personis ipsis adnexa cedi non possunt. 12. Quæ enumerantur. — 13. Generalis regula de Cessione. — 14. An jura passiva cedi possint. —

(1. Concessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur sub pœna excommunicationis, et annullantur a Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 29. in Universalis § 2 (2. Concessiones commodi exigendi pensiones, factæ intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii, annullantur. Idem Constitution. 30. incip. In sublimi § 4.

(3. Quoad Cessionem bonorum, vide verb. Restitutio, art. 1. a num. 49. ad 59; et verb. Solutio a num. 3. ad 6.

## ADDITIONES CASINENSES

(4. Juri suo cedere possunt illi tantum, qui possunt alienare vel transigere. Ita non potest cedere sua jura decoctus. Noguierol. alleg. 16. num. 102. Ita Ecclesia et minores non possunt sua jura cedere; c. 2. de rebus Eccles. non alienand. in 6. Clement. 2. eodem. Molina de just. et jur. tr. 2. c. 224. Mantie. detacit. l. 4. tit. 6. n. 39.

(5. Debitor non potest in præjudicium creditorum jus quæsitum cedere; L. debitorem, Cod. de pignor., quamvis in jure nondum quæsitum, sed quærendo possit illis præjudicare, uti repudiando hæreditatem sibi delatam; L. debitorem, 20. ff. quæ in fraud. credit., quia jus quærendum nondum est in bonis debitoris. L. vitia renum. ff. ad leg. falcid. Sanch. de matrim. l. 6, dis. 4. a n. 8. (6. Hæc sunt de Cessione simplici; videamur

eodem subjecto reperitur contra censuram text. in leg. 1. Codic. de hæred. vel. act. vend. ibique Gotofred. not. 28. et Donell. tom. 3. edit. Lucen. col. 929. et 930. num. 2. et seq. Rot. in Eugubina Censuum super fructibus 3. Februar. 1736. § Statim, coram Molino.

(7. Neque loco damnorum, et interesse hujusmodi fructus percipi, et percepti retineri possunt. Ita enim eluderetur lex, et quod directe prohibitum est, indirecte permitteretur. Rota post Cenc. de Cens. decis. 228. n. 3. In recent. dec. 336, a. n. 1. ad 4. et num. 7. in Nepesina Salviani 25. Januarii 1726. § Posita cor. Cerro, et in dicta Eugubina Censuum super fructibus § Nec profuit, ubi plures allegantur.

(8. Cætera quæ omittuntur, habes in Cenc. de Cens. et consulend. etiam Zech. Rigor. moderat. circa usuras Dissert. 3. c. de Cens. sect. 7. per tot.

15. An Cessio jurium sit stricti juris. Remissive. — 16. Cedens tenetur tradere Cessionario instrumentum nominis cessi, ut agere queat contra debitorem cessum — 17. Periculum nominis cessi, quando illud fuit venditum, vel in solutum datum, tunc cedens ad aliud non tenetur, quam quod nomen cessum sit verum; non tamen quod sit exigibile. — 18. Cessio facta sine causa, et sine titulo est nulla. — 19. An cedens post Cessionem possit aliquid facere in præjudicium Cessionarii. Remissive. — 20. Quid sit Cessio Bonorum. — 21. Ejusdem divisio. — 22. Quid Cessio voluntaria. — 23. Quidve judiciaria. — 24. Quinam beneficio Cessionis judiciariæ non gaudeant. — 25. Debitor eximitur a pœna detentionis. — 26. Quid in casu quo bona non sufficiant ad debiti solutionem. — 27. Quomodo Cessio bonorum sit peragenda. Remissive.

mus nunc de translative. Cessio translative in alium supponit jus quæsitum in transfere non posse a debitore fieri in præjudicium creditorum. L. si avia, Cod. de Jur. deliber. Maschard. tom. 1. concl. 44. Limita, si Cessio fieret in eum, qui absque Cessione succedere potest, uti cohæres, vel substitutus, aut hæres ab intestato. Cancer. 3. p. var. res. c. 15. n. 160. Aliud erga est simpliciter repudiare hæreditatem aut legatum, et aliud illud in alium transferre, seu cedere illi qui absque tali Cessione illud acquirere non potuisset; et prius fieri potest, quia hæres aut legatarius nondum fecit per acceptationem suam, rem legatam; non item secundum; ex quo enim hæres aut legatarius rem legatam alteri cedat, videtur tacite illam adire, aut acceptare, et talis non tam diceretur omittere, quam patrimonium minuere, quod fieri non potest in præjudicium creditorum, nisi Cessionarius etiam non obstante Cessione illam rem legatam acquisivisset. Vide D. D. cit.

(7. Non tantum Cessiones a minoribus factæ, ut supra dictum est, non valent, sed neque factæ a majoribus, si fiant in potentiores, ut quando creditor actionem et nomen debitoris sui potentiori cedit juxta L. 1 et 2. Cod. ne liceat potentioribus.

(8. Cedens, ut incidat in pœnam, debet esse

dolosus, et quod cedat causa opprimendi adversarium.

(9. Quæritur an Ecclesia potentior nequeat Cessionem habere. Affirmant multi apud Oleam de cess. tit. 2. q. 4. n. 44. Maschard. de prob. concl. 558. num. 20. Vera tamen sententia est negativa, et Cessio in ejus favorem facta non subjacet pœnæ; L. 2. Cod. ne liceat potentiori; nisi Ecclesia, vel Clerici jurisdictionem haberent in Laicum quem fit Cessio. Menoch. l. 1. Olea. de cess. tit. 2. 9. 4. num. quamvis ipse Olea. n. 48. ab hac sententia recedat, et verius iudicet, minorem, et Ecclesiam inter potentiores ratione privilegiorum, quæ habent, esse referendos, ideoque si de fraude appareat, exceptione et edicto Prætoris posse repelli, et citat Farin. in fragm. n. 308. et 311. nisi velint uti illo jure, quo uteretur is a quo causam habuerunt; ex Cujacio lib. 8. obs. 31. ibi; vel si non denegat actio, etc. (10. An possit autem fieri Cessio in Clericos ratione mutandi iudicii? vide Oleam. loc. cit. a. n. 46.

(11. Neque jura personalia personis ipsis adnexa cedi possunt. L. mulier ff. de jur. dot. Archid. in cap. privil. de Reg. Jur. in 6. (12. Talia sunt: 1. actio directa. Noal. de transmiss. cap. 24. num. 14. et auct. mox cit. 2. Usus fructus. L. si ususfructus, ff. de jur. dot. Surd. de alim. tit. 8. privil. 55. num. 4. et tit. 5. num. 9. Limita quoad commoditatem fructuum, quæ cedi potest. Mantie. de tacit. lib. 13. tit. 32. num. 4. Ita usus tamquam jus personale cedi non potest. L. si habitatio, ff. de habitat. Noal. de transmiss. cap. 66. 3. Ita privilegium personale cedibile neque transmittitur. Olea loc. cit. num. 21. 4. Ita facultas eligendi, vel nominandi, quam quis habet jure proprio, licet in alium transferri potest, tamen facultas competens ad alterius utilitatem, uti nominandi aliquem ad successionem non potest cedi. Vide Oleam de cess. tit. 3. quæst. 1. Cyriac. lib. 2. contr. 297.

(13. Generalis regula est quod omne quod cedi potest, possit etiam transmitti, et quod transmitti non potest, neque cedi potest. Consule D. D. cit.

(14. Ad quæsitum: An jura passiva, vel actiones passivæ cedi possint? negative respondetur secundum commune apud Oleam de cess. jur. tit. 3. quæst. 9. num. 8. Ratio est, quia Cessio est translatio facta juris proprii in alium, actiones vero passivæ nostræ non sunt, neque in nostris bonis, sed creditorum. L. postquam, ff. de usufr. L. mulier. bona, ff. de jur. dot. Merlin. de pignor. lib. 1. quæst. 8. num. 4, et ita in usufructuarium universalem bonorum, immo nec in emptorem hæreditatis transeunt debita, ut contra illos agere possint creditores.

(15. Olea contra multos tenet in quæstione, an Cessio jurum sit stricti juris; d. tit. 6. quæst. 6.

(16. Cedens tenetur tradere Cessionario instrumentum nominis cessi, ut agere queat

contra debitorem cessum. Gratian. disc. for. cap. 501. Cenc. de cens. quæst. 72. num. 23. Neque sufficit quod constet de credito per sententiam. Hering. de fidejuss. cap. 27. p. 3. Limita si creditor juramento suo affirmaret, se amisisse, tunc enim liberaretur. An vero sufficiat quod cedens ostendat, et indicet notarium, qui fecit instrumentum? ut tenuit Rot. apud Seraph. dec. 1477. num. 8. vel requiratur actualis traditio, ut tenuit Rot. dec. 14. num. 3. p. 4.

(17. Periculum nominis cessi, quando illud fuit venditum, vel insolutum datum, tunc cedens ad aliud non tenetur, quam quod nomen cessum sit verum, non tamen quod sit exigibile. L. si nomen. 4. ff. de hæred. vel act. vendit. Olea loc. cit. quæst. 3. num. 3.

(18. Cessio facta sine causa et sine titulo est nulla, L. fin. Cod. mandati. Ciardin. contr. for. cap. 189. num. 20. Grass. de excep. excep. 40. Sicut est nulla, quando titulus fuit nullus. Gratian. disc. for. cap. 479. num. 72. Farin. de falsit. quæst. 162. Menoch. lib. 3. præ. 129. num. 29. et sicut falsa causa vitiat contractum, ita et Cessionem. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 21. quæst. 2. et per totum, Præsumitur enim tunc simulate facta. DD. cit.

(19. Quæstio autem, an cedens post Cessionem possit aliquid facere in præjudicium Cessionarii, ut confitendo, liberando, vel exigendo, videri potest apud Cacheran. decis. 52. et 45. Merlin. de pignor. lib. 2. quæst. 32. Olea de cess. tit. 8. quæst. 2.

(20. Cessio Bonorum est desertio bonorum omnium in creditorum favorem peracta a debitore, quum non possit amplius debitis suis satisfacere. (21. Hæc autem Cessio una est voluntaria, judiciaria altera. (22. Cessio Bonorum voluntaria est ea, quam creditores sua sponte admittunt, et hæc aliud non efficit, quam id, quod ex stipulationibus Creditores inter et debitorem derivatur. (23. Cessio vero Bonorum judiciaria in beneficium est debitoris, cui pro incolumitate suæ libertatis, omnia bona sua creditoribus deserere conceditur, non obstante quacumque in contrarium stipulatione. (24. Cessionis hujusmodi beneficio non gaudent. Exteri, omnes qui vulgo dicuntur Stellionarii, fraudulenter Decocti, damnati causa furti, etc., Tutores, Administratores, Depositarii, etc. Cessio judiciaria creditoribus proprietatem nullo modo tribuit, sed tantum jus bona venundandi in propriam utilitatem, et fructus, percipiendi donec venundentur. (25. Hac Bonorum Cessione eximitur debitor a pœna detentionis, vulgo Arresto personale. (26. Si vero bona satis non sint ad omnia debita solvenda, debitor et alia si acquirat bona cedere tenetur, usque in integrum solvat. Cod. Regn. utrius. Sicil. leg. 1218. ad 1225

(27. Quomodo Cessio Bonorum sit peragenda, vid. Azzariti Dizionar. Ragionat. del Codice del Regno delle due Sicilie, part. 3. ad verb. Cessione di Beni.

## CHARACTER SACRAMENTALIS.

Vide verb. SACRAMENTUM, art. II. a num. 33. ad 41.

## CHARITAS.

Vide verb. VIRTUS, a num. 34. ad 87.

## CHARITATIVUM SUBSIDIUM.

Vide verb. SUBSIDIUM CHARITATIVUM.

## CHIROMANTIA.

Vide verb. SUPERSTITIO, num. 20.

## CHOREÆ.

## SUMMARIUM.

1. Choreæ publicæ festis diebus prohibentur. —
2. Choreas extrema die Bacchanalium ultra mediam noctem produci vetatur in tota Ecclesiastica Ditione.

(1. Choreæ publicæ festis diebus prohibentur a Benedicto XIV tom. 1. *Constitut.* 60. incip. *Nihil profecto*, § 4. in qua *Constitut.* multa ad rem merito observanda traduntur.

(2. Choreas extrema die Bacchanalium ultra mediam noctem produci vetatur in tota Ecclesiastica Ditione ab eodem Pontifice, tom. 2. *Constitut.* 45. incip. *Inter cætera*; et utinam ubique hoc observaretur.

(3. Choreæ, quamvis ex sui natura sint licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. Idem *Instit. Eccles.* 76. § 5.

(4. Choreas vero a Clericis non sine pec-

— 5. Choreæ, quamvis ex sui natura sint licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt. — 4. Choreas a Clericis non sine peccato gravi agi posse Theologi plerique affirmant. — 5. Alia ad rem. *Remissive*.

cato gravi agi posse Theologi plerique assentunt; *ibid.* § 7. Quin et prohiberi possunt ab Episcopis Clerici omnes ne Choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus Ecclesiasticis, Canonicalibus, seu etiam Beneficialibus deputatis pro domicilio Beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium; quæ verba sunt decreti Sac. Congregationis, relati in *cit. Instit.* 76. § 8.

(5. Alia ad rem, vide verb. *Clericus*, art. 4. ann. 13. et verb. *Luxuria*, num. 88.

## CHOREPISCOPI.

## ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

## SUMMARIUM.

1. Quæstio exorta de Chorepiscopis, et variae opinioniones de eorum Ordinatione. — 2. Affertur prima. — 3. Affertur secunda. — 4. Affertur tertia. — 5. Distinctio facta a Chardonio inter Orientem et Occidentem. — 6. Quoad alia. *Remissive*. — 7. Chor-

(1. Quæ sub Carolo M. Gallicanas Ecclesias multum divexavit, de Chorepiscopis controversia, fuerintne ordinatione sua et caractere veri Episcopi, an tantum Presbyteri aliqua dumtaxat auctoritate, et jurisdictione supra cæteros donati; eadem Theologos nostros, et Jurisperitos etiamnum in varias sententias distrahit.

(2. Petrus de Marca *de Conc. lib.* 2. cap. 13. et 14. Morinus *de Sacr. Ordin. part.* 3. *Exercit.* 4. cap. 2. Thomassius *part.* 1. lib. 2. cap. 1. et 2. cum primis vero Witasse *de Sacram. Ordin. p.* 11. q. 1. *append. de Chorepiscopis*, docent, Chorepiscopos ordinatione sua fuisse meros Presbyteros, adeoque Chorepiscopatum nudum fuisse officium, et ministerium ad levandum Episcopis in pagis et villis sollicitudinem; quod etiam *l. infra cit.* Auctor noster existimabat.

(3. Contra Rhabanus Moguntinus Archiepiscopus in opusculo de Chorepiscopis, quod ad postulationem Reginaldi Chorepiscopi

episcoporum institutio est antiquissima. — 8. Etymologia nominis. — 9. Eorum munus. — 10. Discrimen Chorepiscopos inter et Presbyteros referendum est ad jurisdictionem, non ad Ordinem. — 11. Confirmatur sententia Chorepiscopos alios fuisse Episcopos, alios Presbyteros

edidit, Turnelius *de Ord. quæst.* 7 art. 1. et P. Sbaralea *Dissert.* 29. inter additas a Franc. Antonio Zaccharia Fleuryanæ *Disciplina populi Dei tom.* 3. edit. 1782. p. 180. contendunt, Chorepiscopos non officio tantum, et aliquo ministerio, sed etiam propria ordinatione fuisse veros Episcopos.

(4. Bellarminus *l.* 1. *de Cleric. cap.* 17. et Hallierus *de Sacr. Election. et Ordin. sect.* 5. c. 2. § 2. *seqq.* mediam inierunt viam, duosque distinguunt Chorepiscoporum ordines, quorum alii Episcopi fuerint, alii tantum Presbyteri ordinatione sua.

(5. Fortassis tamen in hac quæstione præstabit cum Chardonio Orientem ab Occidente distinguere, et in Occidente ipso varios variorum sæculorum mores. Nam in Oriente Chorepiscopos Episcopali fuisse potestate insignitos nullus dubitat; at in Occidente non eadem semper et ubique disciplina obtinuisse videtur.

(6. Alia ad rem, vide verb. *Episcopus art.* 1. ann. 36. ad 41,

## ADDITIONES CASINENSES.

(7. Antiquissima est in Ecclesia Chorepiscoporum institutio, cum ad IV. sæculum relata sit: quod probatur ex diversis Conciliorum canonibus. Vide Concil. Ancyran. 13. Antioch. etc. (8. Munus eorum ex ipsa nominis notione patet; appellantur enim τῶν χωρῶν, id est, ruris Episcopi, Episcopi regionarii, quod etiam confirmat *can.* 10. Concilii Antiocheni, ubi dicitur: *Qui in villis, et vicis constituti sunt Chorepiscopi.* (9. Chorepiscopi igitur illi erant, qui ab ipsis Episcopis adsumebantur, ut administrarent Ecclesias extra civitates, quibus ipsi præesse personaliter non poterant; quod colligitur ex ipso citato Concilio: *S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine contenti sint.* Unde Ferrandus Diaconus in *Breviario Canonum* minus ad nominis originem quam ad sollicitudinem quam subjectis sibi Ecclesiis Chorepiscopi sibi impendebant, respiciens, illos *vicarios Episcoporum* vocat: quam interpretationem secutus est etiam Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi. (10. Cum de his quæstio orta sit (vide *supra*), utrum Episcopi an simplices Presbyteri fuerint, quædam addenda censuimus, quomodo discrepantes sententiæ auctorum hac de re conciliari possint. Opinio Petri de Marca et aliorum nititur præsertim Athanasii loco *Apol. contr. Arian. tom.* 1. pag. 158. edit. *Pat. An.* 1777. cujus hæc sunt verba: «*Ma-reotis regio est Alexandrina, in qua nunquam Episcopus fuit, aut Chorepiscopus; sed universæ illius regionis Ecclesiæ Alexan-*

drino parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos, qui decem circiter sunt; inmo plures numero; » ubi quidem discrimen vides Chorepiscopos inter et Presbyteros, quod vero referendum esse potius ad officium et jurisdictionem, quam ad Ordinem putamus; ita ut idem essent Chorepiscopi et Presbyteri quoad Ordinem, majores vero Chorepiscopi quoad jurisdictionem. Et hanc sententiam sequuntur etiam Francisc. Turrian. *Not. in cap.* 54. *Concil. Nicæn.* Natal. Alexand. *Hist. Eccles. sæc.* IV. *Append. ad dissert.* 44. *quæst.* un. tom. 4. nempe quæ *canoni* 8. Concil. Nicæn. consonat, et colligitur ex responso dato a Leone III. ad Carolum M. cui cum legatos ad dictum Pontificem misisset, idem respondit: Chorepiscopus meros esse Presbyteros, ideoque irritum esse quidquid ipsi gesserant proprium Ordinis Episcopalis; quod approbaverunt Concilii Ratisbonensis Patres. Vide Sirmondum *Concil. Gallican. tom.* 2. p. 239. et *Seq. Paris.* 1629. (11. Sed huic nostræ sententiæ contrariæ videntur alii Canones in quibus solum de consecratione Episcopali Chorepiscoporum sermo occurrit, sed etiam decernitur, ut Episcopi hæretici ad fidem catholicam conversi provideantur Chorepiscatu. Attamen facile canones discrepantes conciliare possumus, admittentes distinctionem Bellarmini, nempe fuisse Chorepiscopos Episcopali consecratione insignitos; et præsertim eos qui ab hæresi conversi jubentur Chorepiscopi constitui, scilicet administratores Ecclesiarum in pagis, *ne in Civitate duo sint Episcopi*; alios vero fuisse Chorepiscopos minime distinctos a Presbyteris quoad ordinem, sed majores quoad jurisdictionem.

## CHRISMA.

## SUMMARIUM.

1. Chrisma benedici nequit, nisi ab Episcopo. —
2. Chrisma pro Ecclesiis Græcis recipi debet ab Episcopo Catholico. — 3. Aliquos simplices Sacerdotes accepisse a Pontifice facultatem Chrisma consecrandi fertur. — 4. At insuetum est hac prærogativa inferiorem Presbyterum insignire. — 5. Vetitum est

(1. Chrisma benedici nequit, nisi ab Episcopo, Benedict. XIV. tom. 1. *Constitut.* 17. incip. *Etsi* § 4. (2. Chrisma pro Ecclesiis Græcis recipi debet ab Episcopo Catholico, et quidem ab Ordinario. (3. Idem *ibid.* Quamvis autem Chrimatis consecratio sit unum ex præcipuis muneribus Ordinis Episcopalis, fertur tamen aliquos simplices Sacerdotes accepisse a Pontifice facultatem illud consecrandi, ut testatur Wadingus *Annal. Minor. tom.* 9. ad ann. 1440. de Eugenio IV. qui Fabiano de Bacchia Ordin. Minor. ad Indos proficiscenti facultatem dedit non solum Chrimate consignandi Fideles, sed etiam ipsum Chrisma consecrandi; et de aliis Mabillonius tom. 1. part. 2. *Musæi Italici*, ex Epistola Joannis Diaconi ad Senarium, num. 8. pag. 73. (4. At vero insuetum esse, hac prærogativa Episcopalis Ordinis propria inferiorem Presbyterum in-

signire, erudite suo more tradit Bened. de *Synodo Diocesana lib.* 7. cap. 8. n. 2.

(5. Ex Can. *Si quis de alio, de Consecr. dist.* 4. colligitur vetitum esse Parochis aliud Chrisma, quam ab Episcopo suo consecratum adhibere. *Instit. Eccles.* 81. § 2. idque omni quacumque exemptione exclusâ, ut ex Passerino; *ibid.*

(6. Cum novum benedicatur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri Chrimate uti ad extremamUNCTIONEM, cum novum haberi potest, ut ex Can. 112. *distinct.* 4. *de Consecrat.* colligunt Doctores; *ib.* § 4.

(7. Licitum est oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate quam consecratum; sed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur; *ibid.* § 4.

